

M A T T H A E I
G R I B A L D I M O P H A E
I V R I S C O N S V L T I
C H E R I A N I,

De Methodo ac Ratione
Studendi libri tres,

Nouis accessionibus, quas sequens pagel
la indicat, ab autore proximè
locupletati.

His nunc primùm accessit Dialogus IACOB
CONCENTII de vita Aulica, déque
literarum studiis memoriaz prodendis.

L V G D V N I

Apud Ioannem Frellonium.

1556.

nō tantopere probati. Quamobrem quatuor pro Consiliis omnino eligendos censendo: duos quidem legum copia, & sermonis breuitate praestantes, Ancharanum & Romanum: ceterū duos opinionum cumulis utilissimos, Alexandrum & Deciū. Non inferior sanè Oldradi, Fulgosij, Comensis, Pauli, Cornei, Aretini, Socini, Curtii Senioris, & complurium aliorum vota, valde probari: verum si ex multis (ut de commentariis scimus) pauci eligi debent, proculdubio quatuor praescriptos ceteris potiores esse constabit. Nempe si horum Consilia diligent studiō reuoluantur, adeò perfecta atque elaborata inuenientur, ut nihil aliunde petendum videatur. Próinde (acutissimi iuvenes) non auctorum multitudini studeatis, sed ex multis meliores vobis proponeat, quorum lucubrationibus, ac monumentis ita insiste, ut ex studiis vestris fructum solidum atque huberrimum referatis.

*In cuiusque legis elucidatione octo
maxime obseruanda.*

C A P. X I I .

HAudquaquam extra propositz materia rationem fore putauis, clarissimi iuvenes, si ordinem quoq; in explicandis

dis legibus obseruandū præscriberem, ne quid vobis ad perfectam eruditionem nostra opera desit: quamuis locus hic doctribus iura interpretantibus magis necessarius videatur. Ad plenam igitur legū interpretationem octo maximè desiderantur, quæ sequenti carmine perstringuntur.

**Premitto, scindo, summo, casumque figura,
Perlego, do causas, connoto, & obijcio.**

Premitto.

In primis enim pro evidētia illorum, quæ ad subjectæ materiæ declarationem respiciunt, semper aliquid præmittendum est: l. proponebatur versi. quibus ita præmissis. de castr. pecu. veluti connexarum materiarum distinctiones, terminorum ac vocabulorum diffinitiones: l. j. si cert. peta. l. j. de doli exceptio. generalis & compendiosa totius materiæ de qua agitur declaratio, & similia. Præfationes enim (ut eleganter voluit Caius in l. j. de orig. iur.) ad lectionem proposicæ materiæ libenter perducunt, & eò perductis evidenter rem præstant intellectum.

Scindo.

Secundò, quoniam partitio (teste Acurcio: in proem. inst. §. igitur. in verbo, partiri) animum legentis incitat, mentem intel

intelligentis præparat , memoriam artificiosè reformat , & secundum Iustinianum in §. alio. instit. quibus mod. test. infir . & in §. sed ne in primis. de legi. difficultas ex permista traditione procedens , per separationem explicatur . Quemadmodum & agrorum diuisio huberiorem culturam reddit : l. Caius. §. Titius. de leg. ij. lex ipsa in partes congruas dividenda est : sic tamē ne diuidantur ea , quæ simul cohærent , & ad vnius perfectionem tendunt : l. & si non sint . §. perueniamus . de aur. & arg. le. Imo , in rub. de stipu. versicu. iiij. est descendendum , vel ad eundem finem concurrunt : vel dictum à sua causa , vel responsum à questione proposita . Talia enim , cùm sint ratione & fine indiuidua , pro uno haberi debent : l. sed si plures . §. filio. de vulga. quæ si in partes sciaderentur , nos diuidi quidē , sed (vt Baldus rectè sensit in repe. l. petēs . C. de pac. & tex. in l. ij. §. si quid autem . C. de vete. iur. enucle .) potius destrui viderentur . Diuisionem autem commodam recipiunt , quæ separatam habent rationem , & diuerso fine clauduntur : veluti cùm plura dicta in eadem lege æquè principalia cumulantur , vel plures diuersæ facti species terminantur : vt in Vlpiani legibus : in l. illicitas. de offi. præfid. plerunque videmus , qui

qui inter cæteros iurisconsultos eo potissimum nomine commendatur quod & variis casus, & quam breuissimè soleat eadē lege decidere. Proinde tunc solūm utilis diuisio censetur, cùm separabilium confusio evitatur.

Summo.

Tertiò, quoniam breuitas magis deletat: l.j. vbi glo. quod metus causa. & quæ compendiosè traduntur cū addiscantur facilius: l.j. de reg. iur. tum diutius retinentur, vniuersa legis sententia in epitomen sive summam redigenda est: l.in summa. de condi.ind.& l.in summa. de aqua pluia. Qua de re latius suprà ix. & x. capitibus tractatum est.

Casumq; figuro.

Quartò, ne ex tali compendio, vel breviori narratione obscuritas fortassis insurget, iuxta illud Horatianum in arte poetica:

Brevis esse labore,

Obscurus si.

*Quod sanè legis interpretationi non
parum*

parum detraheret, nec leue aliquando discrimen afferret: §. illud autem in proœmio Digest. vniuersa facti species (maxime nouiorum gratia) ad vnguem recentanda est, casusque totius legis planius expoundus: l. vt responsum. C. de transact. l. precibus. C. de impub.

Perlego.

Quintò legenda est litera, legisque contextus verbo tenus percurrentus, cum ut fabri narratio verbis legis congruere videatur: l. quod constitutum. de mili. test. & l. iij. §. toties. de dam. infect. tum vero (si quid forte inemendatum, vel librariorum incuria depravatum inueniatur) subtili iudicio castigetur.

Do causas.

Sextò, ne vel in casu indubitato: l. Dominus. de test. l. quod Labeo. de Carb. ed. l. auxiliis. C. de furt. l. j. ad municip. vel sine ratione lex facta videatur, causæ tum dubitandi, tum decidendi diligenter peruestigari debent, ut supra capite quarto & quinto latissimè declarauimus.

Connoto.

Septimò, ne verbis potius, quam menti inhærentes: l. scire leges de legib. & l. ij. C. com-

commu.de leg.l.ij.C. de liber. præterit.
 (quod à iuris ratione omnino alienū esse
 docuimus) legis definitionem ad proposi-
 tam tantum speciem restringamus, gene-
 rales regulas, ac notabilia dicta ex omni
 eius parte colligere debemus, casumque
 decisum ad omnes alios ex similitudine
 facti, vel rationis pretendere, & subtiliter
 adaptare:l.non solùm.§.qui primipilum.
 de excu. tuto. Quod quemadmodum fa-
 ciendum sit, suprà capite octauo, nono, &
 decimò abundè monstrauimus.

Et obiicio.

Octauò & vltimò, quò perfecta omni-
 no legis intelligentia habeatur, & prorsus
 nihil dubitationis supersit, contraria & op-
 positiones, tam ex glossematis, quam ex
 Bartolo, cæterisque doctoribus in verba
 & sententiam ipsius legis excitare debe-
 mus: vt suprà cap.vj. diffusè tractauimus:
 quibus tandem ingeniosè, ac subtiliter, tñ
 ex varietate facti, tum ex rationis diuersi-
 tate sublatis:l.ij.§.contrarium.C.de vete-
 ju.enucle.lex ipsa cum vniuersa eius ma-
 teria, perfectissimè enucleata atque intel-
 lecta remaneat.

Hunc vobis (ornatissimi iuuenes) ordi-
 nem in interpretandis legibus obseruan-
 dum

dum, libenter perstringere volui, ut cùm ad metam laborum vestrorum peruenertiis, lauream consumat certaminis adepturi, puncta legum vobis ad periculum proposita, nō confusè (ut plerique soleant) sed dilucidè, atque eleganti ordine reciteris. Quod cùm audientibus patribus iocūdissimum fuerit, tum vobis ipsius perpetuae laudis afferet ornamentum.

Leges Iurisconsultorum ex variis fragmentis compilatas, annaliumq; imperitia interpres mirè hallucinatos.

C A P . X V .

NECESSARIUM OMNINO VISUM EST AD perfectam legum intelligentiam, aliquot errorum, in quos tum interpretes, tum doctores nostri temerè lapsi sunt, causam originemque detegere. Existimarunt enim Iurisconsultorum leges ea integritate, eoqué ad nos ordine peruenisse, quibus ab ipsis primū authoribus conscriptæ digestæque fuerunt: nescientes illustres illos viros: S. J. in J. consti. C. quibus à Iustiniano ius omnē reformandi potestas facta est ex variis prudentum responsis, variisque responsorum fragmentis, leges quales habemus composuisse, in ordinemque redigisse. Insuper temporum atque annalium imperii,